



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XX. Sidoniusl. XXI. Sigismundus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## XIX. S. MAXIMVS.

**S** Maximus Moguntia sub initium Seculi IV. ex honestis iisque Christiano Dogmate imbutis parentibus natus & educatus, inter æquales suos quæ literis, quæ probatis moribus emittit. Scientiis dein exornatus & virtutibus, ac inter Sacerdotes adscriptus D. Adelhardo se reddidit gratissimum. D. Annæo adversus Arianos pugil accessit ore, calamo, & opere potentissimus: unde cum in exilium pulso Annæo ægrè adversus violentas hostium manus & insidias ab amicis fuisset servatus Maximus, nemo præ ipso Episcopus Moguntia placuit. Non humano magis quàm divino consilio constitutum Supremum Moguntinorum Præsulem fuisse eventus rerum comprobavit multiplex; Constantius enim ex Constantini M. filiis superstes solus, Ariæ errores adversus manifesta etiam miracula pertinaciter tueri perrexit: unde non nisi re & nomine maximis opus erat adversariis, qualem se contra Cæsarem ostendit in Oriente D. Athanasius, in Occidente D. Maximus cum sociis Episcopis. Lubeat hanc in rem ex Suriij & Trithemij multis verbis non pauca decerpere, quæ ita habent: *Non est eo tempore inventus apud Germanos pontifex doctior sanctiorque Præsule Maximo, qui tanta sub innocentia & eruditione scripturarum legere ferraret excelsi, quoniam & hæreticorum errores verbis & scriptis constantissimè redarguit, & fundatus supra firmum Petrum divini amoris nullas eorum persecutiones formidavit. Septies tempore sui Pontificatus ab impiis Arianis urbe Moguntina pulsus est: septies quoque divinâ providentiâ restitutus, nunquam dejectus animo, nunquam victus aut superatus. Multa alia in laudem Clericorum ejus temporis maximam descripsit Serarius ex Suriio & Trithemio; horum prioris vide pag. 241. & seqq.*

**XX.** Sidonius I. sed. an 19. sub D. Felice, Liber. & Damaf.

**XXI.** Sigismundus, 6. sub D. Siricio & D. Anastasio.